



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Quid debeat significare sacrificium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

seco motiuo bonus est, eo modo, quo actus exterior capax est bonitatis: sensus ergo est, actum illum externum, quem nomine sacrificij significamus, de se non habere honestatem, sed solum quatenus impositus est ad significandum Dei cultum & honorem: est ergo sacrificium sacrum signum ad placitum significans.

Responsio ad rationem dubitandi in principio positam rationem ad dubitandi. Ad rationem dubitandi in principio positam respondetur, rationem sacri signi esse communem sacrificio & sacramento, & neutrius propriam rationem, & differentiam continere: quae autem illa sit in sacramento, supra dictum est: de sacrificio autem explicanda superest.

SECTIO II.

Quid sacrificium significare debeat, seu qua significatio de ratione sacrificij sit.

IN omni signo ad placitum duo sunt praecipue consideranda: materiale scilicet, quod est res vel actio ad significandum imposita: & formale, quod est significatio ipsa: quae, cum in relatione consistat, vel ad modum relationis explicetur, ad fundamentum proximo, quod est impositio, & à termino seu re significata pendet. Haec igitur omnia sunt à nobis in sacrificio sigillatim consideranda: primum vero de termino & re significata dicendum est, quia species relationis solet à termino sumi, & ex illo maxime pendet aliorum cognitio. Duo igitur possunt per sacrificium significari: vnum est, internum seu inuisibile sacrificium, vt August. dixit, aliud, est mysterium aliquod fidei: verbi gratia, passio Christi: quomodo dicitur Christus immolatus ab origine mundi in veteribus sacrificijs, vt ex Apoc. 13. notauit D. Th. in hoc ar. 1. Et hic duplex significatio confurgit: vna dici potest moralis: quia consistit in significatione alicuius actus humani interioris, ac moralis: quia per se pertinet ad bonos mores hominis: alia dici potest mystica, quia in representatione alicuius reconditi & supernaturalis mysterij consistit. Declarandum igitur superest, quenam istarum significationum sit de ratione sacrificij.

Apoc. 13. D. Thom.

Deo essentia sacrificij est aliqua moralis significatio.

Dico primo. Aliqua significatione moralis est de ratione sacrificij. Vnde aliquid in Deo, & aliquid in homine offerente significare debet: in Deo quidem supremam excellentiam, & dignitatem primi principij, vltimi finis, & supremi Domini rerum omnium, in homine vero subiectionem ad Deum, & recognitionem praedictae diuinæ excellentiae ac potestatis. Haec assertio sumitur ex D. Thoma & Augustino, locis citatis praecedente sectione: hac enim ratione dixit Augustinus, sacrificium visibile esse signum inuisibilis sacrificij: hoc enim visibile sacrificium nihil est aliud, quam interna deuotio & dispositio, qua homo, & per intellectum recognoscit Deum, vt supremum dominum: & per voluntatem vult se Deo submittere, colendo ipsum, & profiteri do hanc eius excellentiam: ergo haec significatio moralis est de ratione sacrificij, quae tam ex parte Dei, quam ex parte hominis, ea, quae diximus, complectitur. Vnde ex hac significatione concludunt in primis dicti Patres, sacrificium esse de lege naturae, quia naturale est homini, se interius subiecere Deo, & internum hunc affectum externo signo prodere, deinde concluditur, sacrificium continere singularem cultum D. E. I. solummodo Deo esse offerendum, vt late tractat August.

Augustinus.

contra aduersarium legis & Prophetarum c. 18. & lib. 8. de Ciuit. c. 28. & lib. 10. c. 5. vbi hac ratione inquit: Sacrificium, etsi ab homine offertur, res tamen diuina est: & Epi. 49. qu. 3. Intelligendum est (inquit) quem sit res antiqua sacrificium: quod non nisi vni vero Deo offerri debere veraces ac sacrae litterae moneant: & ob hanc causam, vt ibidem docet, demones omni tempore vehementer optarunt, vt homines sibi sacrificium offerant, scilicet, vt diuinum honorem vsurparent. Demones enim (ait lib. 10. de Ciuit. cap. 19.) non cadaueribus inuoribus, sed diuinis honoribus gaudent. Vnde ex omnium hominum communi consensu & conceptione, sacrificium, supremum laetiae cultum continet, qui per antonomasiam nomine adorationis simpliciter dicitur significari solet, & ideo eadem vox sacrificio tribuitur. Genes. 22. Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos: & alius locis infra citandis: omnia illa de ratione sacrificij. Quod tandem exemplo aliquo ex re ipsa sumpto declaratur, nam, quando in sacrificio aliquo intericitur animal in honorem Dei, illa actio significatur, omnia à Deo procedere, & sub eius esse potestate, & ideo in illius cultum interimitur: dum autem homo illam actionem exercet, vel nomine suo exercere facit, proficitur se recognoscere, quod per illum significatur. Vnde Leuit. 1. & saepe in veteri testamento praecipitur, vt homo offerens sacrificium, manum imponat super animal, quod immolatur, vt significet ipsummet esse, qui in illa victimam tanquam in signo quodam se immolat, Deoq; submittit. & D. Thom. supra quaest. 82. artic. 4. dicit, eum qui significat, solere de re sacrificata participare, vt per hoc ostendat ad se sacrificium interius pertinere, quia exterius sacrificium signum est interioris sacrificij: est ergo haec significatio maxime essentialis sacrificio. Denique ex hac significatione sumitur prima & potissima differentia inter sacrificium & sacramentum, nam sacrificium per se primo ordinatur ad diuinam excellentiam, & cultum ei debitum profertendum & significandum: sacramentum vero non interem, sed ordinatur ad aliquam hominis sanctificationem significandam, vt supra dictum est.

Dico secundo. Significatio mystica, etiam in cultu sacrificij praesertim à Deo institutis coniuncta, non tamen videtur esse de primaria ratione & essentia sacrificij. Probatur primo, quia si sacrificium visibile habeat praedictam significationem inuisibilis sacrificij, hoc ipso erit verum sacrificium: sed potest praedictam significationem habere absq; alia mystica significatione, vt per se manifestum est: nihil enim repugnat, actionem aliquam externam ordinari ad praedictum Dei cultum significandum, & non ad representandum aliquod aliud mysterium: ergo talis mystica representatio non est essentialis sacrificio. Dices, etiam potest per aliquam actionem huiusmodi representari aliquod mysterium reconditum, & non diuinam excellentiam, nec subiectionem hominis ad Deum. Respondetur, hoc quidem fieri posse: tale autem signum non esse futurum sacrificium, quia deest illi prima & essentialis significatio sacrificij. Dices, idem responderi posse de alia actione significante praedictum Dei cultum & excellentiam, & non aliud mysterium. Respondetur non esse similem rationem: quia, posita illa priori significatione, seruat ratio & definitio sacrificij ab Augustino tradita, & ex communi omnium gentium vsu, & conceptione sumpta. Vnde argumentor secundo ex vsu omnium hominum tam fidelium, quam infidelium, omnibus enim fuit communis sacrificiorum vsus: diuerso tamen modo: nam infideles falsis diuis sacrificia offerrebant, qui licet nulla alia mysteria per sua sacrificia representare intenderent, praeterquam supremum cultum eius numinis, quod colebant, hoc ipso sacrificia offerrebant: ergo signum est, hanc solam significationem esse de ratione sacrificij: quae vera erit, in vero sacrificio, falsa autem in falso, seu idololatricum continente. At vero fideles & iusti vero Deo vera sacrificia semper obtulerunt, ex Adamo vsque, illa tem post lapsum, vt Diuus Thomas docet, dicit, quaestione 85. 2. 2. ar. 1. ad 2. & tamen non videtur necessarium, vt in omnibus illis sacrificijs fuerit mystica significatio: praesertim in his, qui tempore legis naturae sacrificia offerrebant, non ex speciali reuelatione diuinis.

Genes.

Leuit.

D. Thom.

Apoc.

Aug.

Thom.

Aug.

Thom.

Thom.

Thom.

diuina, sed proprio arbitrio & determinatione, in illis enim sacrificijs non potest facile fingi mystica significatio, præsertim apud eos, qui non habebant explicitam fidem Christi, non est ergo prædicta significatio de ratione sacrificij. Vnde sumitur confirmatio: quia sacrificium est de lege naturæ, vt dicemus, erat ergo possibile ex vi solius rationis naturalis, sed mystica significatio non dicitur solo lumine rationis naturalis: ergo talis significatio non est de ratione sacrificij, sed sufficit altera moralis, quæ ratione naturali inueniri potest. Tandem, sacrificium ipsum mortis Christi fuit verum & perfectum sacrificium, habens prædictam moralem significationem; nulla tamen significatio mystica in eo excogitari potest, quia non est impositum ad aliud aliud sacrificium, vel supernaturale mysterium significandum: ergo. Atque hinc à fortiori concluditur, non esse de ratione veri sacrificij, vt significet sacrificium mortis Christi: quia hæc significatio mystica est: si ergo nulla mystica significatio est de ratione sacrificij, neque hæc etiam erit. Item, quia ratio sacrificij prior est, & independens à lapsu humanæ naturæ, consequitur enim rationem ipsam naturalem secundum se: vnde supra etiam ostendimus, si non interueniente peccato Adæ, status innocentia durasset, futurum in illo fuisse sacrificij vsum: sed sacrificium Crucis Christi posterius est, quam lapsus humanæ naturæ, ab illo, suo modo pendens: ergo esse signum eius, non potest esse de primaria ratione sacrificij.

Contra prædictam conclusionem obijci potest primo; quia mystica significatio est de ratione sacramenti, vt supra declaratum est, ergo etiam erit de ratione sacrificij. Respondetur, negando consequentiam, imo hæc esse potest altera notanda differentia inter sacramentum & sacrificium. Cuius ratio primum reddi potest ex notatione ipsorum nominum: nam sacramentum idem est, quod sacrum, mysterium, & ideo de ratione illius est, vt aliquod arcanum in se recondat atque significet: at vero sacrificium idem est, quod sacrum factum, & ideo ad rationem illius satis est, quod, respectu Dei rigorosam mentem indicet.

Secundo obijciatur, quia omnia sacrificia habent virtutem & valorem ex sacrificio mortis Christi: ergo est de ratione eorum, vt respectu illius mysticam aliquam significationem habeant; neque propterea necessarium erit, vt ipsum sacrificium crucis similem significationem mysticam habeat, quia, cum sit primum exemplar, superioris rationis esse debet, factique est, quod seipsum representet: quamquam respectu suorum effectuum non omnino carere videatur aliqua significatione mystica: nam mors Christi, peccati mortem significauit. Respondetur primo, negando consequentiam: nam posset sacrificium participare virtutem & valorem ex sacrificio mortis Christi, quamuis solum diuinum cultum, & nullam aliud supernaturale mysterium, neque ipsum crucis sacrificium significaret: sicut actus animi, quibus apud Deum mereamur, vel satisfacimus, ex Christi meritis valorem participat, quamuis non sint impositi ad significandum illam: quia hæc participatio non fundatur in significatione, sed in morali causalitate, seu dimanatione, nimirum, quia omnes hi actus nostri innuntantur Christo, tanquam primæ causæ in suo ordine. Secundo dicitur, esse extra rationem sacrificij, vt sic, habere aliquam virtutem vel valorem ex sacrificio Christi: nam in statu innocentia potuisset esse sacrificium, etiam si Christus in illo futurus non fuisset: & idem potuisset Deus ordinare in statu naturæ lapsæ, quamuis ergo demus, omnia sacrificia, quæ de facto habent valorem aliquem à Christo, consequenter habere aliquam significationem mysticam eius, vel passionis illius, non inde fit, talem significationem esse de ratione sacrificij. Vnde dicitur tertio, aliud esse, declarare, quid sit de pri-

Franc. Suarez Tom. 3.

maria ratione & essentia sacrificij, quod hæcenus fecimus: aliud vero inquirere, quid de facto habuerint omnia sacrificia, præsertim ea, quæ aliquo modo diuinam habuerunt institutionem, quod in prædicta obiectio ne infinuatur: sic enim verisimile est, omnia sacrificia supernaturalia & grata Deo, à morte Christi distincta, fuisse imagines & representationes quasdam sacrificij crucis Christi, quod quidem de sacrificio legis nouæ certissimum est, vt postea videbimus: de sacrificijs autem legis veteris id docet Augustinus 10. de Ciuit. capit. 25. contra Faustum. cap. 21. & 2. contra aduersar. legis & proph. capite 18. & Diuus Thomas 1. 2. quæstion. 102. artic. 3. & sumitur ex Paulo fere tota Epistola ad Hebræos: Et ex generali regula, quam tradit 1. ad Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis: & inductione posset ostendi, si res non esset valde proluxa, & à præsentate institutione aliena. Et eadem fere ratio est de sacrificijs legis naturæ: maxime quæ offerebantur ab omnibus, habentibus ex præsentate fidem mysteriorum Christi, & ex speciali reuelatione & instinctu diuino, quale fuit sacrificium Melchisedech, quod & sacrificium nostrum Eucharisticum, & consequenter crucis sacrificium significauit, vt in 1. tomo huius tertiæ partis circa quæstion. 22. Diui Thomæ late dictum est. Idemque credi potest de sacrificio Abel, qui de primogenitis gregis sui obtulit, vt dicitur Genes. 4. & Paulus ad Hebr. 11. explicat fide obtulisse hostiam: quam Ecclesia in Canone declarat, fuisse verum sacrificium: vnde multi probabiliter existimant, obtulisse egnum aliquem ex hinc passionis Christi: & ad representandum illam, siue id fecerit ex speciali Dei reuelatione, vt ex his, quæ Augustinus tradit, lib. 1. de mirabil. sacra Scripturæ, capit. 5. colligi potest: siue ex paternâ traditione, vt quoque enim modo fieri potuit. Adam enim statim post peccatum, redemptionem agnouit futuram per Christi mortem, vnde in eius fidei protestatione talia sacrificia instituisse probabile est. Et de hac fide Christi recte intelligitur prædictus locus Pauli, atque idem dici potest de sacrificijs Abraham, & alij huiusmodi. Quod si aliquod sacrificium oblatum fuit absque fide explicita mortis Christi, illud quidem representare non potuit sacrificium Christi ex speciali impositione, saltem hominibus cognita. Nam Deus fortasse in omnibus sacrificijs hanc representationem intendebat, & ideo inspirabat modum sacrificij ad hanc significationem accommodatum, licet non semper homines mysterium perciperent. Nihilominus tamen, sicut tales homines saluabatur in fide Christi implicita: ita dici possunt suis sacrificijs implicite, & in actu exercito, Christi sacrificium representasse, quia omnia faciebant ad colendum & placandum Deum, qui nisi per Christi sacrificium, placari non potuit. Atque hoc modo dici potest, in omnibus sacrificijs, quæ de facto fuerunt, inuentâ fuisse aliquam significationem mysticam sacrificij Christi, propter quod fortasse dixit Sander. libr. 1. de vitijs. Monarch. c. 6. sacrificium Christi esse velut primum exemplar ceterorum, quæ eo magis propria sacrificia sunt, quo perfectius illud representant. Et ratio reddi potest, quia sicut voluit Deus, omnes homines per Christi mortem saluari: ita etiam voluit, vt hanc fidem suis sacrificijs profiterentur, ipsum sacrificium mortis Christi eis representando.

SECTIO III.

Verum ad rationem sacrificij necessaria sit diuina impositio, vel humana sufficiat.

Questio hæc videtur magis ad causam, seu institutionem sacrificij explicandam, quam ad essentiam eius pertinere, tamen, quia impositio ipsa intrat essentialem rationem sacrificij, tanquam proxima ratio significationis eius, ideo non possunt hæc duo

Eccc 2 dispu.